

xta Grav. in lib. suo de antiquit. temp. Et hactenus peccare posse haud videtur fungens officio. Quinimò nescio an in simili illud intelligere debeam de quadam Excellentia, quod legitur in jure Canonico, ubi nemo auderet Papæ aliquid dicere, licet secum infinitas animas in infernum deduceret. Quis enim diceret, quem velle se ipsum deducere in infernum? Nam & in jure civili Imperatorem dicimus lumen, & sanctissimum, & si que sunt similia epitheta. Quo circa quādō Imperatorали cui rem suā aufert, non censendus sine causa abstulisse, modo id faciat cum quadam cognitione & tamquā Imperator. Etsi enim in genere res judicata pro veritate habetur, respectu omnium judicum, quid mirum, si multò magis id verum sit in summo Principe? Huc igitur pertinet clausula de proprio motu Imperatoris: item de causæ cognitione, de clausula derogatoria vel etiam nullativa, ex quibus in genere cognoscitur enixa voluntas Imperatoris. Hisce enim casibus præsumptio est pro Imperatore, quod cum causæ cognitione & non incōsiderato processerit. Ratione hujus præsumptionis, & quatenus Imperator leges quotidie mutare potest, legibus quasi solutus dicitur: qua consideratione etsi clausula derogatoria in lege aliqua contineatur, si tamē postmodū de enixa voluntate Imperatoris sufficienter constet, non adeò inhærendum clausulæ priori videtur. Sic & quando Imperator legem aliquam, quæ videretur iniquior, proponeret, præsumptio tamen pro legislatore militat. Qua de causa quando audiimus Augustinum, docet nos nostrum esse solum secundum leges & non de legibus judicare. Quo multæ questiones occasionaliter ac majori illustrationis causa possent referri: sed brevitati studentes satis esse putamus, rem ipsam exposuisse, uno vel altero exemplo subjecto. Neque enim pro ratione temporis permulta exempla ire nobis propositum est.

THEO-